

164. Objic. 1.<sup>o</sup> Possibilia ab aeterno non sunt aliquid, sed nihil: sed connexio cum nihilo est imperfecta, imo absurda: ergo Deus non est cum possibilibus connexus.

Resp. 1.<sup>o</sup> retorquendo argumentum. *Scire nihil* est magna imperfectio, imo absurdum: ergo non habuit Deus ab aeterno scientiam possibilium.

Resp. 2.<sup>o</sup> Dist. *maj.* Non sunt aliquid actu seu absolute; conc. *maj.* Non sunt conditionate, seu non possunt esse; nego *majorem*.

Objic. 2.<sup>o</sup> Deus nullo alio indiget, est sibi plene sufficiens: sed non ita esset, posita connexione cum possibilibus: ergo nequit cum eis connecti.

Resp. Dist. *maj.* Nullo alio indiget ut perficiente illum; conc. Ut perfectibili ab ipso; subd. Nullo indiget ut *perfectibili*, cujus perfectibilitas fundetur extra Deum; conc. iterum *maj.*: cujus perfectibilitas in Deo ipso fundetur, nego, vel subd. Non indiget ullo perfectibili, ita ut illud debeat actu perficere; conc. Ita ut scire et posse perficere illud, si velit, non debeat; nego *majorem*.

Cum possibilia omnia in Deo fundentur; non illis, sed sibi, debet Deus, quod illa sciat et possit, si velit, perficere.

#### THESIS XXIX.

Deus cognoscit creaturas existentes, tum in se ipso, tum in se ipsis.

165. Nota. I.<sup>o</sup> Creaturae existentes possunt cognosci secundum illud esse eminentius quod in Deo habent, vel quoad esse formale et proprium quo in semetipsis actuantur. Certa et communis est doctrina, Deum in se ipsis, id est, secundum esse proprium et formale, creaturas cognoscere. Tamen id negasse videtur Aureolus cum Aristotele et aliis paucis; sed nullatenus audiendi.

II. Alia quaestio est, utrum non tantum terminent creaturae cognitionem Dei secundum proprium et formale suum esse; sed etiam immediate illam determinent objective et intentionaliter. Pro negativa militant thomistae plures, quibus favent Molina, Suarez et alii. Affirmant autem AA. fere universi nostri cum aliis.

III. Tria igitur asserimus: a) Deum cognoscere creaturas existentes secundum formale et proprium illarum esse: b) illas cognoscere in se ipso, tamquam motivo determinante: c) easdem etiam in se ipsis videre. I<sup>m</sup> partem uti certam, II<sup>m</sup> autem et III<sup>m</sup> ut probabiliores defendimus.

166. I.<sup>a</sup> Pars prob. 1.<sup>o</sup> *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona* (1). Jam vero sermo est de

(1) Gen. I, 3, 4.

illo proprio et formali esse lucis; hoc enim fecit Deus, et non illud esse eminentius, quod in Deo lux habet. Quod autem de luce dicitur, de omnibus intelligendum creatis: *Viditque Deus cuncta quae fecerant, et erant valde bona.*

«Item. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (1).

2.<sup>o</sup> S. Hieronymus ait (2): «Propheticus sermo declarat, nihil esse quod fugiat providentiam et scientiam Dei; quia alia propter se, alia in usum hominum creata sunt.»

Et Ambrosius (3). «Qui ea quaecumque vana sunt deprehendit, ea quae sancta sunt nescit, et ignorat quod ipse fecit? Potest opus suum ignorare artifex?... Intra profundum abyssi, et intra hominum mentes non solum tractata, sed etiam volvenda cognoscit.»

Augustinus quoque (4): «Id ipsum quod factum est, fuisse, antequam fieret et in se existeret, in mente divina, sicut domus construenda in mente artificis.»

Et S. Petrus Damian. (5): «Omnia discernit, atque juxta proprietatem suam quoque distinguit.»

3.<sup>o</sup> Ratione ex D. Thoma probatur (6): «Virtus alicujus rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea ad quae virtus se extendit. Unde cum virtus divina se extendat ad alia... necesse est, quod Deus alia a se cognoscat.»

Jam vero virtus Dei non ad res, prout sunt eminenter in Deo, se extendit, sed prout formaliter et proprie in se ipsis existunt: ergo hoc modo a Deo cognoscuntur.

167. II.<sup>a</sup> Pars prob. 1.<sup>o</sup> Deus non tantum est rerum possibilium fundamentum, sed existentiae etiam rerum omnium creatarum. Atqui non minus se comprehendit Deus ut fundamentum existentium, quam ut principium possibilium: ergo sicut res possibles, ita res creatas existentes in se videre debet. Perpendas rationem hic supra ex D. Thoma adhibitam.

2.<sup>o</sup> *Esse* seu existere rerum creatarum est illud *ipsum esse*, quod erat possibile, sublata indeterminatione seu suspensione illa, *si fieret*. Sed illud *esse*, quod erat possibile, videt Deus in sua essentia, ut dictum est (7); indeterminatio autem seu suspensio, *si fieret*, ab ipso Deo aufertur: ergo in se Ipso cognoscit Deus creatarum rerum existentiam. Quod paucis D. Thomas mira dixit claritate: «Esse cujuscumque rei Deus cognoscit per essentiam suam. Nam sua essentia est repraesentabilis per multa, quae non sunt, nec erunt,

(1) Hebr. IV, 13.—(2) In Jerem. XXX, 27.—(3) *Offic.* I, 7, c. 1.—(4) *Tract.* I, in Jo.—(5) *Epis.* 4, de *Omnip.* c. 7.—(6) I. p. q. 14, a. 5.—(7) *Thes.* XVIII.

»nec fuerunt, (en possibilia). Ipsa est etiam similitudo virtutis cujuslibet causae, secundum quam praeexistunt effectus in causis. »Esse etiam cujuslibet rei, quod habet in se ipsa, est ab ea exemplariter deductum», (ecce res creatas, seu existentes).

168. III.<sup>a</sup> Pars prob. 1.<sup>o</sup> Divinus intellectus quamlibet intelligit veritatem, quocumque modo est cognoscibilis. Atqui omnes creaturae existentes sunt in se ipsis cognoscibiles: ergo eas in se ipsis videt. *Min.* patet: nam ens et verum, seu cognoscibile, convertuntur. Sed omnis creatura existens est in se ipsa ens; ergo et vera atque cognoscibilis.

2.<sup>o</sup> Si Deus in se ipso tantum creaturas existentes videret, non nisi ordinem sui ad rem existentem videret: atqui Deus non videt solum ordinem sui ad res creatas existentes; ergo videt etiam illas in se ipsis. *Min.* ratione è *D. Thoma* sumpta (1) prob. «Cum enim, »re existente, ipsam rem videat prout in suo esse determinato est, »aliter cognosceret rem postquam est, quam antequam fiat; et sic »ex eventibus rerum aliquid ejus accresceret cognitioni.» Deinde addit: «Patet etiam, quod Deus ab aeterno non solum vidit ordinem »sui ad rem, ex cujus potestate res erat futura, sed ipsum esse rei »intueatur.» Praeterea ait (2): «Si non vidisset immediate effectum »in esse suo, sicut nos futura cognoscimus, numquam potuisset »illud scire.»

3.<sup>o</sup> Eatenus non videret Deus creaturas existentes in se ipsis, quia nequeunt esse motivum formale intentionaliter divinae cognitionis. Atqui possunt esse ejusmodi motivum: ergo. *Min.* patet ex dictis (3).

Confir. Quod determinat divinae cognitionis certitudinem, est motivum formale intentionaliter ejusdem. Atqui creaturae existentes determinant certitudinem divinae cognitionis: ergo motivum sunt formale ipsius.

*Min.* ex *D. Thoma* prob. (4): «Contingens aliquod dupliciter »potest considerari: uno modo *in se ipso*, secundum quod jam in »actu est; et sic non consideratur ut futurum, sed ut praesens, neque ut ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum: »et *propter hoc* sic infallibiliter subdi potest certae cognitioni... »Unde omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se praesentes, ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab aeterno »supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate. Unde manifestum est, quod contingentia infallibiliter a Deo cognoscuntur, *in*

(1) 1.<sup>o</sup> Dist. 38, q. 1, a. 5.—(2) Ibid. ad 6.—(3) N. 152 et seq.—(4) 1, p. q. 14, a. 13; et 1. dist. 38, q. 1, a. 5.

»quantum subduntur divino conspectui secundum suam praesentialitatem.»

169. Objic. 1.<sup>o</sup> Creaturae existentes necessariam cum Deo connexionem non habent: ergo nequit illas in se ipso videre.

Resp. Dist. *ant.* Connexionem absolutam non habent; conc. Conditionatam; nego *ant.* Deinde dist. *conseq.* Nequit illas videre existentes conditionate; nego *conseq.* Existentes absolute; subd. Si non ponatur conditio; conc. Si conditio ponatur; nego *consequens* et *consequentiam*.

Hanc difficultatem fecit sane inextricabilem opinio quaedam de possibilitum natura, prout ficta ab aliquibus fuit Auctoribus. Putant, nempe, seu fingunt *ens possibile* veluti quoddam ens actuale, necessarium, aeternum. Adjiciunt tamen, hoc ens actuale non dici *ens* et *actuale*, quatenus *esse* significat unionem essentiae cum existentia, sed in quantum significat unionem praedicatorum essentiae. Ideo, ajunt, haec propositio: *Homo est animal*; (et aliae similes) est aeternae veritatis; quia conformatur cum illo ente possibili et aeterno. Hoc quidem concesso *possibilium* esse et conceptu, non explicabis, quo pacto in se ipso intueatur Deus creaturas existentes, cum connexio quaevis necessaria inter Deum et istas ab illo abscindatur interposito ente actuali et aeterno, ex quo, ajunt, habent veritatem propositiones, seu cognitiones aeternae veritatis.

Huic ergo valedicentes chimaerae, creatura possibilis, dicimus, est illa ipsa creatura, quae evadit actualis seu existens, *si fiat*. Cum igitur ab aeterno Deus in se ipso possibilia videbat (1), illud ipsum videbat esse actuale (existentiam) creaturae, sub illa conditione seu indeterminatione, *si fieret*. Quid ergo opus est ut viderit Deus in se ipso absolutam creaturae existentiam? Quod indeterminationem excluderet; id est, quod fieri seu è sua essentia creaturam illam deducere, ei placeret. Quo posito, nullaque creaturae possibili adjecta forma, quae peculiarem haberet cum divina essentia connexionem, praeter suam formalem dependentiam a Deo; visa est absolute existens, quemadmodum pro signo priori conditionate existens videbatur.

Objic. 2.<sup>o</sup> Creaturae existentes nullum esse actuale ab aeterno habebant. Sed nequit videri in se, quod non est actu: ergo saltem creaturas futuras vel praeteritas non potest Deus in se ipsis videre.

Resp. Dist. *min.* Nequit videri... si determinanda est visio physice, vel quasi physice, a re visa; conc. *min.* Aliter; nego. Nam intellectus creatus, cum sit in potentia, physice est determinandus; ideoque nullum objectum, nisi actu existens, potest eum immédia-

(1) Supra. Thes. XXVIII.

te determinare, ut in se videri ab illo possit. Sufficit autem, rem quamcumque rationem veri, pro quolibet temporis actualis vel possibilis momento, habere, ut sui cognitionem in intellectu divino intentionaliter determinet. Nam divina mens, utpote aeterna, omnia tempora possibilis complecti simul debet.

## COROLLARIA.

## §. I.

*De singularium cognitione.*

170. **Dico.** Deus cognoscit creaturas singulares.

Patet iisdem rationibus ad I<sup>m</sup> partem Theseos probandam adhibitis.

Obstat tamen quaedam difficultas. Multa singularia sunt materialia: sed intellectus humanus, propter suam immaterialitatem, singularia non cognoscit; ergo neque divinus, qui est longe immaterialior.

Ad hanc objectionem D. Thomas respondet 1.<sup>o</sup> (1): «In hoc differunt, quod assimilatio in cognitione humana fit per actionem rerum sensibilium in vires cognoscitivas humanas; in cognitione autem Dei est è converso, per actionem formae intellectus divini in res cognitae. Forma igitur rei sensibilis, cum sit per suam materialitatem individuata, suae singularitatis similitudinem producere non potest, in hoc quod est omnino immateriale: quia forma, quae est inferioris gradus, non potest agendo producere suam similitudinem in gradum altiore.»

171. At urget difficultas: sequitur quod res sensibiles neque virtutem habere possint, ut ad speciem efficiendam concurrant rerum materialium universalium; ideoque efficientur ejusmodi cognitiones (et species) sine objecti concursu. Sane, asserit D. Thomas, actionem objecti pervenire usque ad sensus: «perducitur autem ad intellectum per virtutem intellectus agentis, in quantum omnino a conditionibus materiae exiit.» Verum manet instantia: cur potest virtus intellectus agentis efficere speciem rei materialis specificae, non autem individualis? Ratio enim illa, quod omnino a conditionibus materiae exiit, quamlibet rei materialis intellectivam speciem excludere videtur.

Praeterea videtur haec ratio difficultatem prius propositam confirmare, et solutionem datam evertere. Si enim virtus intellectus agentis producere non potest, propter suam immaterialitatem, spe-

(1) *Contra Gent.* l. I, c. 66.

ciem rei singularis materialis; quo pacto poterit a Deo *summe immateriali* produci, tum res ipsa singularis materialis, tum species ejusdem intellectiva, qua Angeli res ejusmodi intelligunt?

172. Resp. 2.<sup>o</sup> Alia ergo tentanda responsio. Dist. *min.* Intellectus humanus, propter suam immaterialitatem, singularia non cognoscit, *prout sensus cognoscunt*, per speciem, scil., a solo objecto materiali susceptam; conc. *min.* Hoc sane, et unice, probat ratio in 1.<sup>a</sup> responsione ex D. Thoma sumpta. Singularia non cognoscit, per speciem a lumine intellectus agentis et simul a phantasmate procedentem; nego *min.* Phantasma non est *pure* materiale, cum sit actus vitalis compositi. Hanc responsionem facilius cum doctrina S. Doctoris conciliari censemus.

Docet etenim D. Thomas, angelos proprie et immediate, seu per speciem propriam, singularia materialia videre (1); item, docet intellectum humanum ipsa phantasmata immediate intelligere (2), mediate autem et indirecte singularia materialia: et tamen phantasmata sunt aliquid singulare et materiale. Sane Cajetanus nititur, contra D. Thomam, ostendere, quod *nec indirecte* singularia materialia cognoscamus, sed tantum per discursum; uti probamus Deum existere. Nam, ait, si indirecte illa cognoscimus, patet non repugnare in mente nostra speciem ac cognitionem directam singularis materialis. Sane fatemur non repugnare absolute, sed tantum quod talis species a solo singulari materiali efficiatur, ut optime probat supra D. Thomas. Consultius ergo esset ut S. Doctori consentiret, ac fateretur Cajetanus, posse humanum intellectum singularia materialia cognoscere, quam ut ejusmodi inducat carthesianum idealismum; quod nempe, solum ope discursus realem mundi existentiam dignoscamus.

## § II.

*Ab aeterno novit Deus existentia.*

173. **Dico:** Deus creaturas existentes ab aeterno, antequam fierent, vidit.

1.<sup>o</sup> Dicit propheta: *Deus aeternae, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant* (3). Augustinus autem: «Confiteri Deum, et negare praescium futurorum, apertissima est insania» (4).

2.<sup>o</sup> Ex D. Thoma, supra in p. III.<sup>a</sup> Theseos. (n. 168.)

(1) P. I, q. 57, a. 2.—(2) Q. 86, a. 1.—(3) Dan. XIII, 42.—(4) L. de Praedest. c. 10.

3.º Ex his confirmantur quae in II.ª p. Theseos dicta sunt. Si enim ex sui comprehensione existentes creaturas cognovit, necessum fuit eas ab aeterno cognoscere, cum numquam fuerit sui comprehensio limitibus circumscripta.

4.º Ex absurdo: aliter «ex eventibus rerum aliquid ejus accresceret cognitioni,» ut ait ibid. S. Doctor in III.ª p. Theseos; quod, sane, manifeste sequeretur.

## ARTICULUS III.

## De scientia divina futurorum contingentium.

## THESIS XXX.

174. Contingentia libera absolute futura ab aeterno infallibiliter cognovit Deus. Est de fide.

**Nota:** contingens futurum dicitur illud, cujus causae non sunt determinatae seu connexae cum illius existentia, sed contingenter ad hoc, ut existat vel non existat, se habent. Si reapse sit futurum contingens effectus, dicitur *absolute* futurum: si autem futurum fuisset, posita aliqua conditione, *quae non ponetur*; dicitur *conditionate* futurum.

Prob. 1.º Ex Vatie. Conc. Const. *Dei Filius*, c. 1. «Omnia »nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera creaturarum »actione futura sunt.» Et ex symbolo fidei Leon. XI. «Credo... »Deum praedestinasse solummodo bona, praescivisse autem bona, »malaque.»

2.º Ex ps. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe; et omnes vias meas praevidisti.* Et apud Joannem (1): *Sciebat ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* Vide et Matth. (2).

3.º Augustinus aperte loquitur (3): «Praedestinatio sine praescientia esse non potest; potest autem esse sine praedestinatione »praescientia. Praedestinatione quippe Deus praescivit, quae fuerat »ipse facturum... Praescire autem potens est, quae ipse non facit, »sicut quaecumque peccata.»

4.º Confirm. ex superius dictis (4).

175. Objic. 1.º Passim in SS. Litteris non nisi conjecturaliter loquitur Deus de futuris contingentibus: ergo scientiam certam non

(1) VI, 65.—(2) XXVI, 34.—(3) L. de Praedest. c. 10.—(4) Thes. XXIX, n. 168.

habet de his, sed dubiam vel probabilem; ut cum Dominus dicebat: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi* (1).

Resp. Dist. *ant.* Loquitur conjecturaliter ratione objecti, seu significando contingentiam causarum; conc. Ratione suae scientiae; nego *antecedens*.

Objic. 2.º Aliqua futura praedixit Deus, quae non evenerunt: ergo scientiam eorum non habet.

*Ant.* patet in praedictione mortis Ezechie (2), eversionis Nive (3), etc.

Resp. Dist. *ant.* Praedixit absolute; nego *ant.* Sub conditione; concedo *antecedens*.

## SCHOLIA.

## § I.

*Notiones praeviae.*

176. Ut explicent AA. quo pacto Deus futura contingentia cognoscat, non parum laborant et inter se dissentiunt.

**Nota I.º** Futurum est vel *proprie* tale, vel *secundum quid*. Illud dicitur *proprie* futurum, quod non existit nunc, et existet postea: *secundum quid* futurum est, quod, perpensa causarum dispositione, esse debet postea, licet forsitan hae impediendae sint. Ita D. Thomas (4).

**Nota II.º** Futuratio *proprie* talis est duplex: *formalis* et *illativa*. Futuratio *formalis* est forma, per quam res est futura; id est, talis, quod non existit nunc, existet autem postea. *Illativa* futuratio est *antecedens connexum* cum eo, quod res, non existens nunc, existet postea. Haec connexio potest esse metaphysica, (ut illa quae inest praescientiae Dei, aut decreto, cum objecto ejusdem), aut physica, aut moralis.

**Nota III.º** Aliud est, aliquid esse necessarium ut sit res aliqua; aliud, esse rationem formalem ut ea res sit: ex. gr. scientia, decretum, actio Dei creativa, sunt quid necessarium ut aliquid existat, et non sunt ratio formalis existentiae.

(1) Jo. V, 46.—(2) Is. XXXVIII, 1.—(3) Jonae, III, 4.—(4) De Verit. q. 12, a. 10, ad 7.

## § II.

*Quid de futuris contingentibus dignoscit Deus.*

177. **Dico I.** Deus non tantum cognoscit contingentia absolute futura, prout sunt in suis causis, sed prout unumquodque eorum est actu in se ipso.

1.º Prob. Ex definitione futuri contingentis, in Thesi praecedenti tradita (n. 174), patet, quod contingens, prout est in sua causa, non est determinatum ad unum; unde si in suis causis tantum futura contingentia Deus cognosceret, sequeretur absurdum a Divo Thoma notatum; quod non haberet de illis *nisi conjecturalem cognitionem*.

1.º Vide argumenta supra posita (1), quae pariter hanc propositionem ostendunt.

Objic. Per illud videt Deus futura contingentia, per quod sunt futura: sed solum sunt futura per suas causas; ergo solum ea videt Deus per suas causas.

Responsio patebit ex sequenti propositione.

## § III.

*De formali futuritione.*

178. **Dico II.** Futura contingentia non sunt formaliter futura per suas causas, vel per aliquid actu existens; sed per se ipsa, quatenus non existunt actu, existunt autem postea.

Prob. 1.º a simili. Adam non est praeteritus *formaliter* per suas causas, vel quidquam aliud actu existens; sed per hoc tantum, quod nunc non existit, extitit autem antea. Ergo a pari, futura contingentia non sunt formaliter futura, nisi quatenus non existunt nunc, existunt autem postea.

2.º Eo praecise, quod res non existit hodie, existet autem cras, est res futura. Sed in hoc non involvitur formaliter aliquid positivum de praesenti: ergo futura contingentia non per aliquid actu existens, etc.

*Maj.* patet; quia eo praecise intellecto, vere dicitur et cogitatur; *res existet cras*. Sed hoc nihil est aliud quam rem esse futuram; ergo eo praecise, quod res non existit hodie, existet autem cras, est res futura.

(1) Thes. XXIX, p. III, n. 168.

179. Objic. 1.º Esse aliquid *futurum* est denominatio de praesenti: ergo forma denominans, seu futuritio formalis, debet esse de praesenti, seu aliquid actu existens.

Resp. 1.º Retorq. argumentum: Tempus est denominatio de praesenti; sic dicitur: *Tempus breve est: Ecce nunc tempus acceptabile: Tempus vestrum semper est paratum*: sic passim S. Scriptura. Ergo forma denominans, seu tempus formaliter, debet esse de praesenti. Atqui tempus formaliter est successio, seu praesens, praeteritum et futurum: ergo praesens, praeteritum et futurum sunt de praesenti. Quis rei non perspicit absurditatem?

Resp. 2.º Dist. *consequens*. Forma denominans debet esse de praesenti, physice vel moraliter; conc. Semper physice; subd. Cum denominatio id significat; conc. Secus; nego. Aliquando, revera, denominatio significat formam physice de praesenti; ut cum dicitur *vovens, nubens, vivens*, etc. Aliquando vero solum moraliter; uti *professus, nuptus, annosus* etc.

Obj. 2.º Ait D. Angelicus (1): «Illud quod nunc est, ex eo futurum fuit antequam esset, quia in causa erat, ut fieret., Unde, sublata causa, non esset futurum illud fieri.»

Resp. Loquitur hic de futuritione *illativa*; nihil enim physice fuit ab aeterno ex quo *inferretur* rem esse futuram, nisi causa prima. Etenim ipse S. Doctor ait (2): «Aliquid potest dici futurum, non solum ex hoc quod ita erit, sed quia ita est ordinatum in causis suis, ut sit futurum.» ¿Videsne aperte distinguere futuritionem *formalem* ab *illativa*?

## §. IV.

*Fururitio contingentium non est a decreto Dei.*

180. **Dico III.** Neque futuritio formalis, neque illativa rei contingentis potest consistere in aliquo decreto divino praesenti.

Pars I.<sup>a</sup> de futuritione formali ex propositione praecedenti patet. Confirm. Si decretum divinum rei contingentis futurae non esset *praesens*, sed futurum; id sufficeret, ut res illa contingens etiam esset futura: ergo futuritio formalis... *Ant.* prob. Si futura est connexio, etiam hujus terminus futurus est. Atqui quando futurum est decretum rei contingentis, futura est connexio cum re contingenti: ergo si decretum divinum rei non esset praesens, sed futurum, etiam res esset futura.

II.<sup>a</sup> Pars. prob. 1.º Si futuritio illativa rei contingentis in de-

(1) P. I, q. 16, a. 7, ad 3. — (2) De verit. q. 12, a. 10, ad 7.

creto divino sita foret, futura contingentia essent determinata ad existendum, prout sunt in suis causis. Atqui futura ejusmodi non sunt determinata ut sint, prout sunt in suis causis: ergo rei contingentis futuritio illativa in decreto divino posita non est.

*Min.* patet ex ipsa natura horum futurorum. Deinde id saepe defendit D. Thomas; ut 2, 2, q. 171, a. 6, ad 2<sup>m</sup>; et 1. dist. 38, q. 1, a. 5, ad 2<sup>m</sup> et 5<sup>m</sup>; et 1, p. q. 14, a. 13. «Futurum contingens non est determinate verum, antequam fiat, quia non habet causam determinatam... Sed dum est in actu, determinate verum est; et ideo a cognitione; quae est praesens (ut divina) illi actui, potest certitudinaliter cognosci.» (ibi. dist. 38). Et quidem, si in decreto esset aliqua futuritio contingentium illativa, jure dicunt adversarii, quod mediante decreto posset scientia Dei rem futuram certo attingere: sed hoc prorsus negat ibi D. Thomas, ut patet: deinde in resp. ad 6<sup>m</sup> idem confirmat: «Non tamen attingit eam (rem futuram contingentem), nisi prout est in esse actuali praesentialiter considerata.» Vide Augustinum (1).

2.° Si futuritio consensus crastini in decreto Dei reponeretur, Petrus non posset impedire consensum. Sed hoc, tamquam libertatem arbitrii evertens, damnat Tridentinum (2): ergo. *Maj.* prob. Si posset impedire consensum, posset et impedire eundem esse futurum. Atqui si in decreto Dei consisteret futuritio consensus, non posset impedire Petrus, esse futurum consensum: ergo neque ipsum consensum vitare posset.

181. *Objic.* Censet D. Thomas determinationem causae primae non impedire contingentiam futurorum, dummodo causae proximae sint indeterminatae: sed decretum Dei aeternum non spectat nisi ad primam causam: ergo futuritio contingentium in Dei decreto consistens non obstat libertati, neque Angelici D. doctrinae.

*Resp. dist. ant.* Censet D. Thomas determinationem causae primae, consequentem futurorum praesentialitatem in suo esse actuali, non impedire eorum contingentiam; conc. *maj.* Antecedentem et determinantem futura, censet non impedire eorum contingentiam; nego. Haec est genuina D. Thomae mens.

*Inst.* Ait D. Thomas (3): «Contingentia infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam praesentialitatem: et tamen sunt futura contingentia, suis proximis causis comparata.» Ergo non opus est ut futura, ad primam causam relata, sint contingentia et indeterminata.

*Resp.* 1.° Cum verbum illud *proximis*, in aliquo antiquo non le-

(1) *De Civit. Dei*, l. X, c. XII.—(2) *Ses. 6*, can. 4.—(3) 1, p. q. 14, a. 13.

gatur codice, jure suspicionem alicujus corruptelae locus ingerit; quemadmodum et aliae Sancti Thomae sententiae similem passae sunt corruptionem.

*Resp.* 2.° Explico sensum vocis: dicuntur esse contingentia suis proximis causis comparata, quatenus illae nullam infallibilem connexionem cum effectibus contingentibus habent; conc. Quasi prima causa aliquam prae se ferat connexionem antecedentem cum futuris contingentibus, praeter illam quae consequitur eorum praesentialitatem, qua subduntur divino conspectui; nego. Hanc connexionem solam, scilicet consequentem, verba ipsa D. Thomae indicant.

Unde dist. *consequens*: Contingentia ad primam causa relata non sunt contingentia, quasi ab illa antecederentur; nego consequentiam. Quatenus prima causa consequenter ad contingentium praesentialitatem, determinate et infallibiliter illa conspiciat; conc. Hic est vocis illius sensus, doctrinae D. Thomae consentiens, nisi potius malis illam, ut spuream, expungere.

#### V. Praescientia contingentium est simultanea.

182. *Dico* IV. Deus non cognoscit successive, sed simul, futura contingentia.

*Nota.* Futura contingentia successive existunt et praesentia fiunt: cum ergo Deus non possit illa infallibiliter cognoscere nisi in sua praesentialitate, putabit, forsan, aliquis, quod successive a Deo cognoscantur. Et sane Deus illa videt esse successiva, id est, nunc esse, nunc non esse, atque alia post alia existere: non tamen in divina cognitione aliqua realis successio existit.

*Prob.* optime a D. Thoma (1). Cognitio Dei mensuratur aeternitate, sicut suum esse; nam sunt idem. Sed aeternitas simul existens ambit totum tempus, seu facit, ut esse Dei absque ulla simul existat successione: ergo et cognitio simul seu absque ulla successione omnia, quae in tempore futura sunt, attingit.

*Coroll.* «Unde omnia quae sunt in tempore sunt Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se praesentes, sed quia ejus intuitus fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate.» Ita D. Thomas (ibid.).

(1) P. 1, q. 14, a. 13.